



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

XXVII [i. e. XXVIII]. Si quis deficiat in exceptione probanda.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

## Innocentij III. Romani Pontificis. 587

inter infames, quasi ex falso testimonio, non habentur.

### TITULUS XXVIII.

Si quis deficiat in exceptione probanda.

**F**Inem litibus cupientes imponi, ne partes ultra modum graventur laboribus & expensis, præsertim cum de beneficiis & officiis ecclesiasticis litigatur, quæ sine dispendio diu vacare non possunt, præsentî decreto statuimus ut postquam intentionem suam altera pars fundaverit, si reliqua fortè voluerit legitimam exceptionem opponere, quam nolit aut nequeat in continenti probare, quia frequenter ad impediendum vel differendum processum exceptiones hujusmodi per excogitatum maliciam opponuntur, ad solvendas alteri moderatas expensas ex tunc in judicio faciendas, cum acceptis induciis in probatione defecerit, condemnètur, & si solvendo non fuerit, aliàs secundum arbitrium discreti judicis puniatur, ut hoc saltem timore perterritus non facilè quis in gravamen alterius falsas exceptiones opponat.

### TITULUS XXIX.

Quòd judiciarius vigor gratis sit omnibus exhibendus.

*Idem Prælati & clericis Lombardiæ.*

**C**um ab omni specie mala præcipiat Apostolus abstinere, nos, qui, licet indigni, constituti sumus à Deo super gentes & regna, ut juxta verbum propheticum evellamus & destruiamus, ædificemus & plantemus, summpere debemus satagere quatinus evellamus vitia & plantemus virtutes, destruiamus iniqua & ædificemus honesta, sicque nostra sollicitudine mediante prava transeant in directa & aspera vertantur in plana. Licet autem hujus nostræ sollicitudinis labor generaliter debeat ad omnes extendi, quia sapientibus sumus & insipientibus debitores, specialiter tamen ad clericos, qui dormire debent à vitiis, ut sint pennæ columbæ deargentatæ, ne quid in illis appareat quod obfuscet candorem ecclesiasticæ puritatis. Sanè ad audientiam apostolatus nostri multorum assertione pervenit quòd cum ex delegatione nostra causas suscipiris pertractandas more secularium super decima litis, vel parte alia, pro diversa terrarum consuetu-

Tom. I.

dine, præter expensas victualium, cum litigantibus receptis pignoribus pro salario conventis, quæ postmodum usque ad solutionem pecuniæ, nolentibus etiam partibus, contenditis detinere, non attendentes quòd ad hoc vobis & aliis clericis sunt ecclesiastici redditus deputati ut ex ipsis honestè vivere debeatis, ne vos oporteat ad temporalia lucra manus extendere vel ad iniqua munera oculos inclinare. Cum igitur opera vestra lucere debeant laicis in exemplum, nec vos deceat instar secularium ad temporale compendium juris occasionem arripere, universitati vestræ præcipiendo mandamus quatinus ab hujusmodi exactionibus de cetero abstinentes vigorem judicarium gratis studeatis litigantibus impertiri, non obstante quòd in fraudem à quibusdam proponitur quòd id exigatur nomine assessorum, cum nec justum judicium judici vendere liceat, & venales sententiæ ipsis etiam secularibus legibus reprobentur.

### TITULUS XXX.

De sententiâ & re judicata.

*Idem Decano & Cancellario Laudunensi.*

**S**icut nobis vestris litteris instimastis, Lib. 2. epist. cum causa quæ inter H. Subdiaconum & V. Presbyterum super quinque frumenti modis vertebatur, qui dicebantur ipsi H. per annos singulos exsolvendi, ex delegatione nostra vobis commissa fuisset, & partibus in vestra præsentia constitutis idem H. restitutionem sibi fieri postularet, adversarius se ad hoc non teneri respondit, cum alia vice super hoc coram judice conventus fuerit & sententialiter absolutus. quod ostendere voluit duorum testimonio sacerdotum, ex quorum depositionibus vobis constitit quòd magister A. ex parte venerabilis fratris nostri Episcopi Laudunensis V. Presbyterum per judicium absolvit ab impetitione Subdiaconi memorati. Verùm quia testimonium eorum quasi nudè prolatum fuerat, ut de allegationibus & testibus quæ judicem movere solent ad sententiâ proferendam nil se scire dixissent, variatum fuit inter jurisperitos à quibus consilium postulastis, aliis asserentibus tale testimonium non valere, aliis sententibus quòd valeret. Vnde in hac ambiguitate quid tenendum sit sedem duxistis apostolicam consulendam. Cum verò in pluribus locis, in quibus copia

E E e e ij

Cap. 5. de dolo & contum.

Lib. 1. epist. 176.